Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26908
Copyright: Admont, Benediktinerstift



genealogiam assumpserit. huic sermoni inserere longum est. Quis nam
in europa habitans. huius progeniei. altitudinis nomina. ignorat et loca.
Igitur cum esset in domo suorum parentum. sancta dei puella Gerdrudis secus pedes
beate memorie genitricis sue ittane. die ac nocte uerbum sapientie me-
ditabatur. Deo cara hominibus amabilis. suas super coetaneas crescebat. Hoc
primum electionis sibi xpi seruitium fuit. sicut per iustum et uacem ho-
minem. qui presens aderat cognoui. Dum pipinus genitor suus. regem
dagobertum. domus sue ad nobile prandium inuitaret. aduenit ibi unus
pestifer homo. filius ducis austrasiorum. qui a rege et parentibus puelle postula-
ret. ut sibi ipsa puella in matrimonium fuisset promissa. Secundum uero more
seculi propter terrenam ambitionem. et mutuam amiciciam placuit regi.
sed & patri puelle suasit ut in sua presentia. illa cum matre sua fuisset
euocata. Illis autem ignorantibus propter quam causam uocaret infantem cum
matre. interrogatur inter epulas a rege. si illum puerum auro fabricatis
ac sericis uestibus indutum. uoluisset habere sponsum. Illa autem quasi fu-
rore repleta. respuit illum cum iuramento dicens. nec illum nec alium
terrenum sponsum. nisi xpm dominum uelle se habere. ita ut ipse rex et proceres
eius mirarentur. super his que a parua puella. dei uisione dicta erant.
Ille uero puer recessit confusus iracundia plenus. Sancta autem puella ad suam
se conuertit genitricem. et ex illa hora parentes eius cognouerunt. a quali
rege amata fuerat. Post annos uero xiiii. cum pater eius pipinus de hac luce
migrasset. matrem in uiduitate secuta est. eique in obsequio atque mandatis
dei sobrie et caste seruiebat. Dumque cottidie supradicta mater familie ittana
quid de se. ut de sua orphana filia esset factura cogitaret. aduenit uir dei.
Amandus episcopus ad domum eius predicans. et de dei uisione rogabat. ut mo-
nasterium sibi sueque filie dei famule construeret. Statimque ut uir dei in-
telleret. ignote rei noticiam ad salutem animarum pertinentem. assensum ei pre-
buit. ipsa uero sacrum uelamen accepit. et semetipsam deo tradidit. et omnia
que habebat. Sed hoste humani generis instigante. qui ab initio bonis operibus
inuidus extitit. resistere prauorum coeda firmabat. ut ab his qui dei uolun-
tatem faciendam eam adiuuare debuerant. non paruam sustinerent tem-
ptacionem. Quales iniurias uel ignobilitates et multas penurias propter
nomen xpi supradicta famula dei cum sua filia perpessa est. scribere longum est
si per singula narrare uoluero. Sed hoc tantum intimamus. quantam deuoti-
onem et quale desiderium habebant in se diuinum. Ut non uiolatores a-
nimarum ad illecebras huius mundi et uoluptates parum raperent. ferrum

filiam suam